



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CX. Der Bischof Heidenreich vereinigt die Kirchen in den beiden Dörfern Langerwisch, am 23. Juni 1287.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

insuper V. talenta denariorum vendidit domino Conrado cappellano nostro dilecto, plebano in Niendorp ac pueris suis, que inquam bona prefatus Jacobus a reverendo patre ac domino Gebhardo Brandenburgensis ecclesie episcopo, tenuit hactenus jure feudali. Cum autem nos et ecclesiam nostram nunc hujusmodi contingat collatio, nos de communi nostri consensu capituli predicto domino Conrado plebano in Niendorp, ac filiis suis Dengero, Nicolao, bona predicta, videlicet V. choros partim siliiginis et partim ordei, insuper V. talenta denariorum contulimus suis temporibus possidenda ac usui mancipanda, sic quoque, si una memoratarum partium moritur, ante aliam, reliqua que super vixerit, ipsos redditus ad tempus percipiet vite sue. Nihil autem de bonis jam prehabitis transibit per decessum jam dictarum partium proprios ad heredes. Ut autem ante dictorum virorum venditio, emptio ac nostra collatio firma ac inconvulsa permaneat, presentia sigillo nostri capituli decrevimus sigillari post nostrum obitum minime valitura. Testes sunt dominus Dhengerus viceplebanus Brandenburgensis, Rogosen monetarius, Henricus magnus, Wilhelmus scriptor, Johannes Monkesberge, Reynerus de Tremme, Waltherus de Camerwode. Actum et datum Brandenburg, anno gratie M^o. CC^o. LXXXVI^o. III^o. (Das Datum fehlt, wegen einer Lücke in der Urkunde.)

Nach dem Original.

CX. Der Bischof Heidenreich vereinigt die Kirchen in den beiden Dörfern Langherwisch, am 23. Juni 1287.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Injuriatur memorie frequenter oblivio. Longinquitate fit sepe temporis, quod res clara presentibus reddatur obscura futuris. Quare adversus oblivionis dispendium de scripture suffragio providit industria sapientum. Hinc est, quod nos Heidenricus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus, recognoscimus et tenore presentium in publicam volumus notitiam devenire omnibus ipsarum auditoris continentiam seu visuris, quod ecclesias ville Langherwisch, pertinentis ad mensam prepositi et capituli nostre ecclesie, et alterius ville Langherwisch dicte similiter, ad terram Beliz pertinentis, de maturo consilio univimus et uniendo conjunximus, ita quod dicta ecclesia Langherwisch ville dominorum nostrorum predictorum pro matrice ecclesia ab omnibus habeatur, reliqua vero ecclesia Langherwisch alterius ville tanquam filia a nexu dicte matricis ecclesie nullatenus separetur, provide statuentes ac de speciali gratia indulgentes, ut post decursum vite presentium plebanorum dicte ecclesie, per nos unite, cum suis emolumentis et fructibus ad dictos dominos nostros pertineant pleno jure et mense deserviant eorundem, id censentes equum et debitum, ut, qui sub candore vite et habitus famulantur in sanctimonia Jhesu Christo ejusdem patrimonio consolatione debita non fraudentur. In cujus rei evidens testimonium presentes de certa nostra conscientia conscribi et sigillo nostro fecimus communiri. Datum Brandenburg, per manum Ludolfi curie nostre notarii, anno gratie M^o. CC^o. LXXXVIII^o. IX. Kalendas Julii in vigilia beati Johannis baptiste, pontificatus nostri anno primo.

Nach dem Original.